



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

III. De edendi carnes, ac vsus lacticiniorum priuilegio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

## CAPVT III.

De edendi carnes, ac lacticiniorum usus  
priuilegio.

§. 2.  
Priuile-  
gium e-  
dendi  
carnes.

13. **B**ulla virtute possunt carnibus vesci de medici vtriusque consilio: si id eodem Quadragesima tempore ius commune concedit, quòdnam hoc Cruciatæ indultum? Rodericus indecisam reliquit quæstionem, asserens alibi nil nouæ facultatis ibi concedi, sed tantum ius commune explicari. Nil prorsus dat Cruciatæ. Ego autem cum Sanctio assero virtute Bullæ concedi facultatem edendi carnes ex vtriusque medici licentia non solum quando est causa manifesta, quod sine Bulla, imò sine licentia effici potest: nec solum quando est dubia, ad quod licentia illa requiritur medici vtriusque, vel saltem corporalis: sed etiam quando solum est sufficiens ad petendum dispensationem, non tamen ad edendas carnes sine illa.

§. 2. 14. Mittitur Iubileum præscribens vt lucraturus Indulgentias tres dies ieiunet: possunt ne ex priuilegio Bullæ hæc iugium vniua cum lacticiniorum esu impleri? Possunt; quia Iubileum ieiunandi laud strictius ieiunium requirit, quàm est Quadragesimalis ieiunij. quod cum esu lacticiniorum impletur.

15. Dispensatus ad esum carniū virtute Bulla potest ne simul pisces edere? Potest, vt in materia de ieiunio asserui.

16. Bulla à lacticiniorum priuilegio excipit Regulares omnes, & Clericos seculares Presbyteros: num hi Dominicis Quadragesima possunt lacticinij vti? Ita planè; quia secundum ius commune dies Dominici Quadragesimæ non appellantur Quadragesimales. Addiderim consequenter non egere huiusmodi Sacerdotes, & Regulares Bullæ priuilegio, sicut non egent seculares ipsi, vt lacticinij vtantur diebus Quatuor temporum, & Vigiliarum, qui quidem dies ieiunij Quadragesimales non sunt.

17. Num Nouitij Religionum Bullam habentes possunt lacticinij vti? Possunt vt seculares; quia Nouitij quoad Religionis onera Religiosi non censentur, sed quoad priuilegia.